

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0097

0095

0101

0091

0106

0086

0146

0046


0196

0596

1096

Ende

Anfang



86

apotheca pro Domino comparans species aromaticas, et ibi ex eis confectiones et unguenta confecit contra sudores et calores, contra frigora et algores et lassitudinem, et ubicumque sequebatur Dominum, aromata pretiosa haec confecta secum ferebat et dominica membra ungebat. Illa enim, quae ante conversionem pro deliciis sui corporis utebatur, postea convertit ea pro dominici corporis consolidatione. In hac ergo destructa ecclesia Officium praescriptum persolvimus, et indulgentias plenariae remissionis accepimus (††).

De domo S. Marthae, quae fuit hospitium Domini.

Inde progressi ad partem sinistram praedicti lapidis venimus ad murorum antiquorum ruinas cujusdam domus singularis, et dicitur fuisse domus sanctae Marthae, in quam ipsa saepe Dominum invitavit, sicut dicitur Lucae X.: et mulier quaedam Martha nomine excepit illum in domum suam. In hac domo accusabat Martha Mariam sororem suam apud Dominum, et Dominus sententiam pro Maria protulit, dicens: Unum est necessarium, Maria optimam partem elegit etc. In hoc loco terram deosculati sumus et indulgentias accepimus (†) cantatis et lectis orationibus in processionali praescriptis.

De ecclesia sepulchri S. Lazari, in quo jacuit quadriduanus.

Deinde convertimus nos ad castellum Bethania, et ingressi venimus ad unam magnam ecclesiam et pulchram, sed clausam. Incolae autem Bethaniae acceptis paucis denariis a patronis eam aperuerunt nobis, et ingressi in dextra ecclesiae parte venimus ad sepulchrum Lazari, in quo quadriduanus mortuus jacuerat, quando eum Dominus suscitavit, ut habetur Joh. XI. Stetimus ergo ante sepulchrum Lazari, et Officium signatum persolvimus, et ipsum sepulchrum deosculantes indulgentias (††) plenariae remissionis accepimus. Et ascendimus de sepulchro ad altare majus, ubi est locus, in quo Dominus Jesus stetit et clamavit: Lazare veni foras etc. Haec ecclesia fuit quondam sollemnis per sanctam Helenam